

fieri iussimus, idem a Florense monasterio culturam Birani, que in tenimento est Monticini, et quasdam possessiones in tenimento Cusentie, que fuere Gimundi filii Raonis Battalle. Qui Gimundus ibidem recipiens habitum monachalem optulit se et sua pariter, ut ab aliis alia revocavit, reducens ipsam culturam in demanium nostrum, dictas vero possessiones aliis, sicut audivimus, sub servicii recognitione concedens. Quo mortuo, cum fuissent ad nos quasi per excadentiam devolute, illas Amato cursori nostro concessimus plene processum negocii non scientes. Nunc vero, quia plenarie nobis de rei constitit veritate, nullatenus pati volumus nec debemus, ut Florense monasterium, quod specialiter ut paternam plantam et diligendum duximus et fovendum, bonis propriis et maxime hiis, que nos ei concessimus, defraudetur. Quare fidelitati vestre mandamus et sub optentu gratie nostre districte precipimus, ut, quia dictus secretus et regione distare videtur et causa itineris, quod ad obviandum nobis arripuisse iam dicitur, vos non obstante predicta concessione, que a nobis vel ab eodem medio tempore facta est, sed omni prorsus occasione cessante venerabili abbati et fratribus dicti monasterii Floris per notatam Birani^{a)} culturam et prefatas possessiones restituatis pacifice amodo et libere, sicut per privilegium nostre ipsis inde facte concessionis et confirmationis exprimitur possidendas. Mandamus preterea, ut presentes literas, postquam legeritis, eisdem abbati vel fratribus servandas pro cautela monasterii resignetis.

Datum in castris in tenimento Bononie, VI octobris, IX indictionis.

De premissis igitur cerciores effecti, quod sic veritas se habebat, sicut fuit pro parte monasterii Floris regie audientie intimatum, licet iusticiarii presentes non essent, nos auctoritate regia freti posuimus dominum Mattheum venerabilem abbatem monasterii Floris in corporalem possessionem culture Birani^{b)} in pertinenciis Monticini et quarumdam possessionum in tenimento Cusentie, que fuerunt prenotati Gimundi filii Raonis Battalle tam in terris, vineis quam arboribus et ubicumque de eisdem possessionibus potuit aliquid inveniri. Postmodum vero, cum questio fieret de finibus prenotate culture coram domino Landone venerabili Regino archiepiscopo domini imperatoris familiari Cusentie commorante, simul et nobis placuit ipsi domino archiepiscopo et de consilio fuit, ut inquiri debet^{c)} inde veritas per iuratos, qui fines ipsos pro certo sciebant, videlicet iudicem Riccardum de Dipiniano, Petrum de Electo de Monticino, Michaellem de Gemmitanis, Ugolottam de Lauriniano, Iacob de Tessano, Paganum^{d)} et Tarsitanum de Dipiniano,

IX. a) *erstes i verb. M*

b) *irani verb. M*

c) *M*

d) *P verb. M*